# CASTI INNOCENTIS
# ANSALDI
## ORDINIS PRÆDICATORUM
*PUBL. SACR. THEOL. PROF.*

# ORATIO
## IN ATHENÆO FERRARIENSI HABITA
*ANNO MDCCLII.*

VENETIIS, MDCCLII.
APUD SIMONEM OCCHI.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆCLARISSIMO PRÆSTANTISSIMOQUE VIRO

*DOMNO*

JOSEPHO ANTONIO CARACCIOLO

PLACENTINO

CASINENSI

MAXIMO GENERIS SPLENDORE,

SUMMAQUE THEOLOGICORUM STUDIORUM

ET

HUMANIORUM FACULTATUM

COGNITIONE ET PERITIA,

HUMANITATE, PRUDENTIA, MORUM CANDORE,

ALIIS DENIQUE PLURIMIS VIRTUTIBUS

*CLARISSIMO*

ORATIONEM HANC SUAM

D. D. D.

CASTUS INNOCENTIUS ANSALDUS

ORDINIS PRÆDICATORUM.

a 2

Digitized by Google

Digitized by Google

QUUM pro humanarum conditione rerum multiplex ſit ſemperque fuerit earum veluti adſpectus, nil mirum, *Patriæ Proceres ampliſſimi*, multiplicem æque eſſe ſemperque fuiſſe diverſarum copiam opinionum, aut hominum cogitationes eadem ſæpenumero de re, tanta inter ſe diverſitate laborare. Quid enim hominum in vita frequentius, quam unam eandemque agendi rationem oppoſitis conſiliis aſſerere; idemque quod aliqui animi vitio fieri putant, alios a virtute profectum arbitrari? Id autem accidiſſe cogitantibus de hodierno Theologiæ ſtatu ſcitote Auditores ornatiſſimi; quum enim mihi ſuperiore anno, ex hoc ipſo loco hac ipſa hora, dicenti pœne omnia apud Theologos pacata, eorumque animi ab impotenti contentionis ſtudio quam maxime alieni eſſe viderentur, heincque totus fuiſſem ut oſtenderem, nullam theologicis tradendis ediſcendiſque Diſciplinis idoneam magis fuiſſe ea, qua fruimur, tempeſtatem, quod eadem, uti moderationis & æquitatis, ita & Theologiæ ſeculum jure & merito appellari mereretur: quum id, inquam, ipſe cogitarem, nonnulli ex oppoſito, egregii quamvis præclariſſimique Viri, aliter atque ego ſtatuendum eſſe decrevere, dum illam, quam adeo celebraveram vigeſcentem in præſens theologicis aliquibus de rebus contendendi averſationem, ipſi, non pacis ſtudio, ſed languori & deſidiæ; non odio contentionis, ſed theologicarum contemptui Quæſtionum; non Religionis denique amori, ſed ipſius Religionis neglectui tribuendam eſſe exiſtimarent; quod eo etiam magis adfirmare ſe jure poſſe contenderunt, quod perpauci nunc ſint qui Theologiæ operam navent, & vix aliquis reperiatur, qui aliquam aut Theologorum habeat, aut ipſius etiam Theologiæ rationem. Ego vero, Auditores, etſi tantorum auctoritate Virorum moveri plurimum ſoleo, eiſdem tamen hac de re aſſentiri non poſſum; neque veſtrum aliquem tam trepido corripi metu, aut timida adeo in ſententia verſari committam; quum non ab admiratione & favore Vulgi, ſed a ſapientum opinione; non a copia & numero, ſed ab illorum præſtantia qui alicui dant operam facultati, ejus dignitas & majeſtas pendenda eſſe videatur. Abeſt enim adeo ut



Digitized by Google

Theologorum paucitas, & neglectus aliquorum, ejuſdem dignitatem & nomen lædere vel minimum poſſit, ut ex hiſce potius exque ratione, qua Theologiam nunc ſelectiſſimi pertractant Viri, materiam mihi hodierna die ad dicendum ſumam, qua magis adhuc & magis floreſcentem illius ſtatum ab injuſta aliquorum trepidatione valeam vindicare. Quæſo igitur a vobis, Auditores, ut mihi detis hanc veniam, uſque me pro Theologiæ decore & gloria, hoc coram *ſpectatiſſimo Sapientum Judice*, coram hiſce nobilliſſimis Athenæi noſtri Moderatoribus, hoc concurſu hominum litteratiſſimorum, paullo liberius dicentem patiamini, quod, ut tempori adcomodatum, ita Vobis moleſtum minime futurum, pro humanitate veſtra ſingulariſſima, confido.

Jam vero quid cauſſæ ſit, Auditores, cur nonnulli paveant adeo, trepident, atque formident, deque Theologia pœne actum in præſens putent, primum videamus. Equidem nimiam Diſputationum theologicarum copiam demum Theologiam perdidiſſe animadvertunt; quum enim, diuturna illarum diſquiſitione rerum, aliquibus hoſtiles intra muros & extra aliquando peccari videretur; quumque Orthodoxæ Theologiæ hoſtes certamini impares eſſe ſe tandem noſſent, malo factum eſſe fato ajunt, ut illi ſuapte ſponte ab hac alieni facultate fierent, hi vero mille artibus ab eadem ſuorum ſaltem animos averterent; quare maxima nunc in Europæ parte nedum Theologiæ ardor, ſed adeo etiam refrixerit & relanguerit Religio, ut ſuis ipſa relictis ſedibus jam tandem exceſſiſſe terris, ſeque in cœlum recepiſſe videatur. Itaque eo perductam rem eſſe, ut illi ipſi, qui aliquo tenentur Religionis conſervandæ, propugnandæ, aut amplificandæ deſiderio, adacti in præſentiarum ſint, ſilentio id potius atque conſilio, virtute & prudentia præſtare, quam inani theologicorum argumentorum pondere & ſententiarum. Obſoletas ſubjiciunt, prorſuſque antiquatas apud Anglos & Batavos, quin & apud plurimos Germanos & Gallos theologicas ſacraſque Diſciplinas: valere apud illos tantum, veluti non majeſtatis modo, ſed certitudinis etiam & majeſtatis pleniora, Philoſophiæ & Juriſprudentiæ ſtudia: nullam habere eoſdem theologicorum Scriptorum, nullam theologicarum Elucubrationum rationem: Sanctorum Patrum Opera tot laboribus & vigiliis, tot expenſis, tantaque cum laude nuper edita & illuſtrata, minori jam pretio, quam abſoluti Ephemeridas anni, Lutetiæ proſtare: Libros de

Reli-

Digitized by Google

Religione pertractantes ubique negligi, ubique contemni, & ab omnibus hominum illorum regionibus, vetitas veluti merces, aut rem mali ominis ejici, inque Italiam, tamquam ſalſamenta exonerari, ut eorum nos fœtore veluti tabeſcentes diſrumpamur: ipſa in Italia, ſimulatque de Theologis agitur, nullum gratiæ locum eſſe, nullum aliquando locum eſſe juſtitiæ: ceteras facultates ad honores obtinendos auxilio præſentiſſimo eſſe: præclare contra cum Theologia agi, ſi non ſit ipſi impedimento: ubique terrarum litterariis in Cœtibus, quos Academias appellant, ea foveri quæ ad Philoſophiam & Matheſim, quæque ad Hiſtoriam, Eloquentiam & Criticen pertinent; ea vero cuncta removeri, immo exulare prorſus, quæ pertinent ad Theologiam: Theologos, ceu mortalium moleſtiſſimos, ex omni humaniori Conventu eſſe dejectos, veluti, uno illo exhauſto malo, relevata nonnullis hominum ſocietas, & tandem recreata videatur: omnia denique ad hanc relate diſciplinam negligentia, inertia, remiſſione, deſidia, torporeque plena eſſe atque referta; quare nullo jure manifeſtam hanc Theologiæ contemptionem honeſto fuiſſe a nobis moderationis nomine involutam.

Sunt hæc, Auditores præſtantiſſimi, triſtiſſimæ illorum querelæ, qui hodiernam Theologiæ conditionem non ſine lacrymis proſequendam commemorandamque eſſe arbitrantur; quorum momenta tamen, ſi æquum in examen revocentur, quam exaggerata & amplificata ſint, & quam levi falſoque fulcro innitantur, ita intelligetis, ut, ſi qua forte perculſi eſtis formidine, ea facile repoſita, animum recuperare valeatis. Nam quod nonnulli contendunt, nullo nunc haberi in pretio Theologiam, quod perpauci graviſſimis etiam theologicis de quæſtionibus ſolliciti inpræſentiarum ſint, videant illi quæſo, an id noſtrorum ſatius felicitati temporum aſſerendum, quam inter Theologiæ incommoda enumerandum eſſe videatur. Quid enim pulchrum & decorum magis, quid magis æquum & honeſtum, immo etiam neceſſarium, quam ſanctiſſimam hanc altiſſimamque ſcientiam atque ſcientiarum dominam non litteraria a plebe, & ab imperitis ſemidoctis, ſed a pauciſſimis, iiſque mortalium ſelectiſſimis prudentiſſimiſque pertractari; ipſamque a profano Litteratorum populo ſemotam, iis ſe ſolum præbere conſpiciendam, qui univerſum actæ vitæ tempus arcanioribus ſtudiis dedere? Rectiſſime olim ſplendidiſſimum illud Romanæ Eloquentiæ lumen M. Antonius Muretus, Oratione Romæ

habita, quum in Platone explicando progrederetur; *Quod ſi maxime, inquiebat, ad verum & falſum perſuadendum utilis eſt Eloquentia, tamen in tanto periculo, & in tanta multitudine hominum ea improbe utentium, non paſſim, neque quibuslibet uſus illius permittendus eſſet; ſed ut Cretenſes armorum tractationem ingenuis permittebant, ſervis denegabant; ita deligendi eſſent publice ex omni multitudine certi tantum, qui Eloquentiæ præceptis inſtituerentur*. Jam vero, ſi opportunus, immo neceſſarius eſt Auditorum delectus quum ſermo eſt de humana facultate; quanto magis quum agitur de divina, Auditores? Si pauci de Eloquentia ſolliciti eſſe debent; quanto pauciores de Theologia, in qua & majus errandi periculum eſt, & ad eam rite pertractandam in natura minus adjumenti? Alexander ille Orientis domitor, quem omnis poſteritas jure magnum appellavit, edixit olim, ne quis alius ipſum, quam Apelles pingeret, quam Lyſippus ex aere duceret, quam Pyrgoteles ſculpſerit; Deum autem, divinaſque res quibus nihil majus, nihil excellentius, nihil ſublimius aſſequi cogitando poteſt, deſcribent Artifices vulgares, ignobiles, imperiti, aut incerti? Aliter profecto atque ii, qui Theologorum de paucitate in præſentia queruntur, exiſtimabat Gregorius Nazianzenus, qui, Libro de Theologia primo, non cujuſcumque eſſe, rectiſſime monebat, de Deo, diviniſque de rebus diſſerere, & multo minus diſputare; neque adeo exigui eſſe ejuſmodi res pretii, ut illotis manibus attingere eas debeant, qui humi quotidie ſerpentes terrenis ſtudiis occupantur. Illud quoque ſubjiciebat Sanctus Pater: non id quæcumque decere tempora, neque apud omnes, neque de omnibus; ſed eſſe quando, & apud quos, & quo fieri ſine id conveniat; nam, ut parum feliciter ceſſerit ſolares radios nudis oculis intueri, aut rudi penicillo elegantiſſimas ſpecies efformare: ita cœnum inepte unguento immiſceret ſemidoctorum imperita multitudo, ſi ſublimia Religionis noſtræ myſteria ſibi ſumeret inanibus dictis retexenda.

Utinam vero, Auditores, utinam inutilis ſolum eſſet theologicorum copia Diſceptatorum. Fuit, quod dolendum eſt, fuit ipſa ſemper Theologiæ non dicam, ſed Eccleſiæ, ſed bonis omnibus, ſed Reipublicæ perniciosa. In memoriam revocate obſecro triſtiſſimas ipſius Gregorii Nazianzeni ſuo de tempore querelas, quas in Oratione olim fudit de moderatione & modeſtia theologicis in diſputationibus ſervanda, dum ſcilicet omnes eo temeritatis & audaciæ proruperant, ut de ſublimioribus

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianæ dogmatis myſteriis diſputare fas eſſe ſibi crederent, & theologicis quæſtionibus nedum templa & ſcholæ, ſed & porticus etiam & ambulationes, & fora, & compita omnia perſonarent. Quam triſtis & luctuoſa tunc rerum facies! Quantum ex illo imperitæ ſemidoctorum multitudinis fervore & impetu malum, Auditores! Theologicas illas ob contentiones membra Eccleſiæ diſtracta lacrymis proſequi ſe ajebat ſanctiſſimus ille Pater, ſejunctos fratres, turbatas Civitates, populum in rabiem actum, armatas gentes, Sacerdotes inter ſe & cum plebe etiam commiſſos; parentes adverſus filios, viros contra uxores, dominos contra ſervos, diſcipulos adverſus Præceptores concitatos; cuncta benevolentiæ nomina ablata, ſanctiſſimam denique concordiæ legem, maximum ad virtutem adminiculum, ignominia adfectam. Tantum, ardens nimium Theologiæ ſtudium ſuadere potuit malorum!

Quas non cierunt in Eccleſia turbas Schytæ Monachi, qui unum de Trinitate paſſum & mortuum dici debere contendebant? Orthodoxo id illi quidem præſtabant ſtudio atque ſenſu, ut egregii Viri noſtra & ſuperiore ætate oſtenderunt. Aſt illos tamen, ob non moderatum illum theologum fervorem, ſeditionum auctores, ſuperbos, odia foventes, ſui amatores, invidioſa crimina & obtrectationum venena ſerere doctos, & Hormiſdas olim Pontifex, & ipſimet eorum Vindices jure & merito appellarunt. Quot diſſenſionibus, quot diſcordiis, quot diſſidiis, ſeculo decimoſexto Eccleſia non ſolum, verum etiam Reſpublica laboravit! Cauſſam quæritis ne Auditores? Lipſium auditote ea de re ad Franciſcum Svvertium ſcribentem: *Prurigo iſta de Religione diſſerendi & litigandi, quæ peſſimum & viliſſimum quemque tenet, cauſſam his malis dedit, & dabit*. Patrum autem noſtrorum memoria, in finitimo florentiſſimoque Regno, gliſcente primum æmulatione, aliquorum deinde invidia, aliorum flagrante impotentia, imperviæ obſcuriſſimæque theologicæ diſputationes in Gymnaſiis olim deliteſcentes, vernaculi quoque ope ſermonis in Gynæcæa, civileſque in conventus, in officinas denique, urbanos inter ſermunculos, imprudentiſſime inductæ ſunt. Quid ex illa agendi ratione Auditores? Quum omnibus horis contentioſiſſime diſputaretur, aut diſputari audiretur, etiam qui natura moderatiſſimi erant, aſſiduitate concertationum, ſenſum omnem æquitatis & modeſtiæ ex animis amiſere. Itaque, dum

*Scinditur incertum ſtudia in contraria Vulgus*,

 theo-

Digitized by Google

theologicum ſtatim ubique ſe ſe effudit incendium, unde tot ſuſpiciones, & partim obſcuræ, partim apertæ ſimultates, tot iræ, tot artes, tot invidioſæ in pectore curæ; indeque labes illæ animorum, & lapſus rerum, quos hoc etiam dolemus tempore atque miſeramur.

Mihi credite Auditores: Theologia cibus non eſt palato populi idoneus, nec ab ejus fragili ſtomacho umquam concoquendus. Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna Theologi majeſtas; neque capiunt anguſtiæ pectoris vulgi, non recipit ejus levitas, non egeſtas animi, non cura rerum humanarum, tantam perſonam, tam gravem, tam auguſtam, tam ſeriam, tam ſeveram. Populum autem, non tam coronam, ſed etiam Chlamydatos jure Seneca appellabat; indoctos quoſcumque videlicet, aut ſemiperitos. Quod ſi horum non operam in Theologia optari quis reſpondeat, ſed eorum potius erga Theologos & ſacram illam diſciplinam ſtudium, reverentiam, obſequium: Quid? reponam ipſe verbis Tullii pro Plancio; tu ne æquum dignitatis judicem putas eſſe populum? Iniquus profecto judex, ille ſemper eſt; quippe non delectu aliquo, aut ſapientia ducitur ad judicandum, ad æſtimandum, ad vituperandum, ſed impetu nonnumquam & quadam etiam temeritate; non enim eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia; ſemperque ſapientes ea quæ Populo probata eſſent ferenda, non ſemper laudanda eſſe exiſtimarunt. Immo ex nimio imperitorum erga nonnullas theologicas concertationes ſtudio, eorum ex favore, ex eorum cœca demum alicujus opinionis, aut Theologorum aliquorum æſtimatione, ortas in Eccleſia turbas ajo Auditores. Quod ſi mihi fidem habere dubitatis, eccleſiaſticis ſaltem fidem habetote monumentis; ut enim veterem Græciam hoc uno concidiſſe malo ſcribebat olim Cicero, libertate ſcilicet immoderata, & licentia Concionum: ita Græcam Eccleſiam hac una præſertim labe, populi videlicet theologicis de quæſtionibus nimium ſolliciti tempeſtate & fluctibus jactatam agitatamque periiſſe intelligetis. Statim enim atque, ut in turbida ſeditione, dum furor cunctis arma miniſtrat, agitur diſputationibus ejuſmodi & commovetur multitudo, in partes venire ſuo non jure ſolet cui profanarum rerum ſumma eſt poteſtas; quo ex fonte derivatur clades, quæ in patriam populoſque fluit; aut inde errores, ſi non ortum, incrementum profecto habent ſuum; vel rumores ſaltem publicam evertentes tranquillitatem infeliciter oriuntur. Itaque,



Digitized by Google

ut in recte ſapienterque inſtituta Civitate non ii etiam, qui artibus aut otiis nati ſunt Martis ſigna ſequi debent, ſed validis modo miles fortunatus in armis; utque non quilibet e vulgo ad conſultandum de Legibus aut ad deliberandum de Republica accedit, ſed ii modo, qui genere aut poteſtate valent, auctoritate, prudentia, conſilio: ita non omnes aliquantum etiam docti de Religione diſceptandi munus arrogare ſibi debent, ſed ii ſolum, qui veluti majore quodam perculſi numinis adflatu, ceteris omnibus poſthabitis, ad divinarum, intelligentiam rerum omnes cogitationes ſuas, atque omnia ſtudia contulerunt.

Felix igitur, utile, fortunatumqne eſt, totique benevertit Reipublicæ & Eccleſiæ, quod pauci inpræſentiarum theologicis de concertationibus ſolliciti reperiantur; ut enim ad Imperiorum diuturnitatem magis confert eorum mediocritas, quam magnitudo; ita ad ſtabilitatem Theologiæ & Theologorum ad decus magis eorum conferet ſelecta paucitas, quam turba; ea præſertim de cauſſa, quod non languori & deſidiæ, non Religionis neglectui, non Theologiæ demum contemptioni, ſed paci potius Catholicæ Eccleſiæ, florentiſſimæque Philoſophicarum cognitionum & humaniorum litterarum conditioni, difficultati demum excellendi in Theologia (quæ omnia moderationem in animos inducunt) univerſa hæc agendi ratio afferenda eſſe videatur. Quis autem & tam æquam lente feſtinandi cauſſam, & tam innocuam flexionem, aut oportunum omnino diverticulum, & tam idoneum pudorem, negligentiæ, remiſſionis, & torporis poſtulare jure poteſt aliquo Auditores?

EQuidem multorum ad ſe animos vocat fateor, mentemque perurit Philoſophia. Utinam adhuc tamen plures ad ſe ipſa raperet & alliceret, neque tantam adhuc in ſcholis noſtris leviorum mentium copiam relinqueret. Magnus, quem iterum laudavi, Gregorius Nazianzenus, illa in Oratione, in qua de nimia querebatur theologicorum Diſceptatorum turba, quam icciroo in ſua illa ex ſolis Elucubrationibus unicoque SS. Patrum textu coaleſcente Theologia, ejus inter prima capita & inſtar loci, ut ajunt, theologici, edidit æterni Vir nominis Eminentiſſimus Thomaſius (adeo & ipſemet hac in re ſignum peſſimi turbam eſſe cogitabat!) illa, inquam, in Oratione, quo animos ratione aliqua deflecteret Sanctus Pater, unaque furenti tunc diſputandi libidini, & levitati multitudinis conſuleret, eam philoſophicas potius ad diſputationes prudentiſſime incitabat. Quod ſi gloriam,

Digitized by Google

riam, inquiebat, & nominis celebritatem impotens Diſceptator adfectas, divinis prætermiſſis quæſtionibus, quæ ſupra naturam, ſupra humanam cogitationem ſunt, philoſophica in palæſtra latiſſimum tibi decertandi campum aperiam. Ediſſere quænam ſint rerum principia, quo modo, quidve gignatur, quoque modo intereat: quæ nimborum; fulminum, tempeſtatumque ſint cauſſæ: quæ corporum cæleſtium magnitudines, intervalla, curſus, progreſſiones: quæ corporis, quæque mentis natura, quæ ratio ſenſuum, qui animantium ortus, victus, figuræ, quæ ſtirpium, quæ omnium ferme rerum, quæ gignuntur e terra, eſſentia; de ceteris demum philoſophare & contende, in quibus & ſcopum aſſequi utile eſt, & errare, minime periculoſum. Quod igitur optimum factu exiſtimabat ſanctiſſimus ille Pater, ne Theologia a profanis pollueretur, nos, timore vaniſſimo correpti, maledicti in loco ſtultiſſime ponemus, ut Auditorum Theologiæ copiam augeamus? quem idoneum ille ducebat emittendis hoc Sanctuario rudioribus egreſſum: nos dolendam appellabimus a ſacris Litteris avocationem? Quam ille ſervandæ Theologiæ gloriam levioribus animis oſtentabat, nos captandæ vulgi prædicationi eiſdem invidebimus?

Nec mirum ſane, Auditores, quod præteritis omnes ſeculis ad Theologiam diſcendam docendamque unice accederent, dum ſcilicet homines vix umbram haberent aliquam, aut imaginem Philoſophiæ. Aliter ſe res habet tamen in præſentia. Felices nuper animæ cœlos ipſos mente adierunt, neque modo

*Qua parte debacchentur ignes,*
*Qua nebulæ pluviique rores;*

ſed etiam per inane rotantia mundi ſidera, ornatumque variis coloribus orbem deſcripſere. Fulgent ubique imagines, & undique per aures eunt clariſſimorum nomina Virorum, qui Matheſin & Philoſophiam primam, Criticen & humaniores Litteras illuſtrarunt, naturaliumque cognitionem rerum experimentis certiſſimis quam maxime protulerunt. Recens autem & florida quum ſit horum facies ſtudiorum, animis novitate ſemper irretitis eadem mirifice conveniunt; quum Theologia contra, ſua non ſolum dignitate & majeſtate obrui, ſed etiam vetuſtate quadam laborare videatur.

Verum quid vetuſtatem Theologiæ heic illi obeſſe ajo Auditores? Dicam

Digitized by Google

cam ſatius, novam ejus formam novam ſpeciem, novam methodum, novam ejus denique præſtantiam, tantam ſui ingeſſiſſe eam ſpectantibus imaginem, ut plurimi inde, nullam foventes in ea excellendi ſpem, animis deſpondeant, ſeque etiam a ſuſcepto ſemel onere avertant, & olim quidem ſimulatque ſapere nonnulli cœperant, jam ſe ſapere credebant; vixque limen libaverant arcanæ hujus domus, putabant penetraſſe. Itaque multi ad ſapientiam, niſi perveniſſe ſe putaſſent, potuiſſent pervenire. Verum in eo ceteris præſtare videtur ætas noſtra, ut niſi qui revera ſapiunt, ſe demum ſapere arbitrentur. Olim oſtentatores habebat multos Theologia, multoſque diobolares, ut ita dixerim, magiſtros, qui quum vulgata quædam, aut litigioſa, & ad ſcholaſticas modo contentiones utilia tradidiſſent, ea Theologiam eſſe jactitabant. At nunc nemo eſt qui non intelligat, nihil fuiſſe hominum illorum inepta perſuaſione falſius, nec ficta illa ſapientia ineptius. Olim verborum controverſia homines torquebat græculos, contentionis ſane quam veritatis cupidiores; ſummæque habebantur in pretio Scholaſtico rum noctes illæ theologicæ, quæ tenebras revera Quæſtionibus magis, quam lucem adferebant. At nunc Opera ejuſmodi parentes ſuos proculdubio ſuperſtites relinquerent: nemo nunc Theologus habetur, niſi ſit ita comparatus, ut & Theologiæ principia domi habeat ſua, & quæcumque ad vera ejus ſpectant adminicula, quæcumque ad ſacram pertinent eruditionem atque Criticen, ſuo copioſiſſime e penu valeat ſuppeditare. Graviſſimus nunc eſſe debet, & veritatis amantiſſimus Theologus, immo quum aliis nominibus ſuſcipiendus, tum hoc vel præcipue, quod plura ſciat quam oſtentet, ſemper plura præſtet quam polliceatur. Olim ſimulatque paullum ultra prima Theologiæ elementa progreſſi erant qui Theologi appellabantur, continuo opes & honores in ſe vel invitos congeri ſentiebant, quod denſiſſimis illis in tenebris dubium etiam lumen magno eſſe videretur ad incedendum adjumento. At nunc qui larva ſapientiæ, aut mediocritate doctrinæ, falſa tamen de ſe opinione tumefactus, aliquod adferre ſe poſſe crederet aut ſibi nomen, aut Litteris ſacris incrementum, ille quidem per ora omnium proculdubio volitaret, ſed ſolum ut ei omnes veluti mente capto, ſtultitiamque oſtendenti ſuam, conviciis inſultarent. Itaque theologicam ad lauream nemo hoc ævo perventurum ſe confidit, niſi qui cœleſte & prope divinum ingenium habet, illudque utriuſque Palladis artibus excultum, qui-

que

Digitized by Google

que omnes annos ita vixerit, ut a ſacrorum Canonum, ſanctorumque Patrum, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ſummorumque ſtudio Theologorum, nullo eum unquam tempore aut commodum aut otium aliquod abſtraxerit, aut voluntas avocarit, aut ſomnus retardarit; ſed immo numquam debilitata virtute, nunquam fracto, ſed confirmato renovatoque animo, ſacræ ſemper & arcanæ invigilaverit ſapientiæ.

Aſt, ubinam gentium inpræſentiarum ſunt, dicent fortaſſe ii, qui de neglecta Theologia non mediocriter conqueruntur, ubinam, inquam, gentium inpræſentiarum ſunt Viri cum iis conferendi, qui tot auro cedroquæ digna theologica Opera Ludovico decimoquarto imperante conſcripſere? Ita, inquam, illi, quos ipſe ſi viciſſim rogarem tamen, ubinam gentium in præſentiarum Viri ſint cum Colberbo conferendi, qui apud Principem ſacrarum cauſſam agant Litterarum; haud vererer profecto, quin effatum illi vetus verum eſſe faterentur, nemini ſcilicet tam clarum ingenium, tam egregiam virtutem, tantamque diſſerendi copiam eſſe atque facultatem ut poſſit denique emergere, niſi occaſio etiam, locus, tempus, &, quod præcipuum eſt, Commendator accedant. Honeſtiores ejus inopiæ tamen deeſſe non videntur cauſſæ, illæ nempe ipſæ, quas C. Vellejus Paterculus olim in medium protulit, dum mirabatur ſcilicet, quod in diverſis quibuſque artibus, uno tempore, profectu ſimili, ad eandem præſtantiam eminentiamque clara ingenia ſimul omnia perveniſſent, quo tamen elapſo arctati temporis ſpatio, elabi artes ipſæ, earumque ſtudium exſtingui crederetur. Sic enim exiſtimat Vir ille certe maximus: *Alit æmulatio ingenia; & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum: difficiliſque in perfecto mora eſt: naturaliterque quod procedere non poteſt, recedit, &, ut primo ad conſequendos quos priores ducimus, accendimur: ita, ubi præteriri, aut æquari eos poſſe deſperavimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit; & quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit, & veluti occupatam relinquens materiam, quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non poſſumus, aliquid in quod nitamur conquirimus: ſequitumque, ut frequens ac mobilis tranſitus maximum perfecti Operis indicamentum ſit.* En, Auditores præſtantiſſimi, cur Theologiæ ſtudia præterito floruiſſe ſeculo, noſtro prope jacere videantur. In majus ſcilicet, ut olim, eadem nunc augeri non ſinit illa, quam indepta jam ſunt, abſolutiſſima perfectio. Quid enim præſtan-

Digitized by Google

ſtantius, nobilius, ſublimiuſque nuper editis Religionis Chriſtianæ & Catholicæ Vindiciis? Nam, uti in Socinianis, Spinoſa, Hobbeſio, Bælio, Tollando, Collino, aliiſque qui a libertate nomen habent, inſidioſiſſimis Scriptoribus, revocatos prope dixerim ab orco vidimus Tryphonas, Celſos, Hierocles, Julianos, Symmachos, Porphyrios, Jamblicos, Eunapios, vetereſque Stoicos & Academicos ſacrorum noſtrorum adverſarios; ita veteres eorundem Sacrorum apologeticos Scriptores cælo veluti demiſſos tot in egregiis legimus recentiſſimis propugnatoribus, quos equidem quis non dicam ſuperare, ſed æquare aut imitari ſeſe poſſe facile confidat! Qua autem animi fiducia adverſus adeo oppugnatam hæreſim polemicos congerere quis nunc auderet Commentarios, tot jam elaboratiſſimis, divinaque ſapientia refertiſſimis exſtantibus, quos niſi exſcribere non poſſumus, quoſque ſatis Heterodoxi formidarunt; quare eorum audacia adeo cohibita, ut debitam demum habeant noſtrarum virium rationem? Pugnaciores quoque milites in ſtativis agunt, dum hoſtes verecunde, ſuos ſe intra fines continent; neque ſpoliis opimis inſignitur, niſi qui bellum gerit adverſus repugnantes.

Verum, quonam me inutilium & litigioſarum rapit odium concertationum? Num ex nimia Theologiæ felicitate veternum aliquod? uſque magna Imperia limites ſuos habent, quo quum venerunt, ſiſtunt, retroeunt, & tandem ruunt; ita nobiliſſima hæc ſcientia, ſuo nunc preſſa pondere, defluit fortaſſe, aut ſuccumbit? Num exhauſta theologicarum quæſtionum veluti materia, animiſque ad oblectationem philoſophicam directis, quodque bellum cum hoſte habemus potius quam gerimus, nullam idcirco præſtantes doctiſſimique habent Viri Theologiæ aut theologicarum Elucubrationum rationem? Fugite obſecro id ſuſpicari Auditores. Non ſermo externus, non externum ingenium, externa vobis non ſit mens. Itali, Itali. Ego certe non patiar, non feram, non committam, non ſinam, ut ex Eccleſiæ tranquillitate, exque ſecunda profanarum ſcientiarum fortuna, ex ſublimi demum Theologiæ ſtatu, hanc hodierno retroeuntem tempore, aut inacceſſam neglectamque eſſe inferratis. Vigent in præſens, fateor, vigent Philoſophiæ, Juriſprudentiæ, Hiſtoriæ, Eloquentiæ, Critices, ceterarumque Muſarum ſtudia; verum ea ipſamet etiam de cauſſa viget quam maxime ſtudium Theologiæ, quod hodierna ætate, abſque perfecta abſolutaque Legum, Linguarum, Hiſto-

riæ,

Digitized by Google

riæ, Chronologiæ, Geographiæ, & Critices cognitione nullum eſſe poteſt; viget ejuſmodi, inquam ſtudium, licet apud paucos modo, apud adeptos, apud probatos, apud optimos, morumque & vitæ labe carentes viros, qui ea, quæ præteritis annis diviſa magnum diverſis Scholis conciliabant nomen, collecta nunc tenent. Vulgatiſſima ea ſunt, quæ ſacræ ſodalitates pœne omnes promovendis arcanis & ſublimioribus ſtudiis, veluti quam maxime idonea, nuperrime conſtituerunt. Equidem eiſdem nonnullos ſacris in Cœnobiis addictos ſemper fuiſſe non negaverim; quod privato tamen arbitrio, privata aſſiduitate, privato conſilio, non, uti paucis ab heinc annis, Præſulum auctoritate & præcepto, receptaque ex diſciplina præſtitere. Id autem unico ſolidioris Theologiæ tribuendum nunc eſſe deſiderio, ex eo colligite Auditores, quod tametſi Paulus V. Pontifex Maximus, qua erat virtute & incredibili ſapientia, orientalium peritiam linguarum, ut theologicis interſereretur ſtudiis, in Aſceteria inducere, & quam maxime proferre ſtuduiſſet: apud ſodalitiorum tamen Præſules æmulatio in præſentiarum magis, & theologicum ſeculi ingenium, quam majoris tunc imperii vis, & obtemperandi gloria potuere. Plurimorum igitur effulget ea in re labor, ſtudium, atque diligentia, quos inter apud nos Bertolatus celebrantur & Dionyſius Remedellus, qui Bononienſi in Athenæo orientales eo fructu docent Linguas, ut hebraicas alter theſes, ſceleſtiſſima alter de Geographia, Ydrographia, & Anemologia ſacra, effata ſibi ſumpſerit publico frequentiſſimoque in Cœtu, ſuperiore anno, vindicanda. Quantam autem in vere theologico ſcribendi genere merentur hac tempeſtate laudem apud Gallos præclariſſimi non pauci Maurini Monachi? quantam apud Italos Mamachius, Sbaralea, Cacciarus, & Bertius celeberrimus, majorem fortaſſe conſequuturus, ſi majorem aliquantum eujuſdam habuiſſet Scholæ veteris rationem? Quantum ſibi theologicum mox decus adtulerunt, nuncque etiam adferunt plurimi, qui ſe tamen ſacræ vitæ nunquam dicarunt, Viri quique theologica de re præſtanter æque, dataque opera ſcripſere, atque illi, qui eam olim more, inſtituto, & habitu profitebantur? Ut ut enim bene multos, doctiſſimos illos quidem, ſed qui imprudentia laboravere, omittamus, ferri tamen conſtat per ora omnium theologica Magalotti, Averanni, Gaſpari, Catanei, Spinelli Scalæ Principis, celeberrimique Johannis Lamii, aliorum denique ejus ordinis hominum Opera atque

ſcri-

Digitized by Google

ſcripta, quæ abſtruſiorem divinis de rebus ſcientiam intra Monaſteriorum & Academiarum ſepta non continuiſſe ſe, ſed profanorum etiam animos inundaſſe hominum, apertiſſime evincunt. Non ego ſat memorem quanta virtutis & doctrinæ ſuæ jam retulerat præconia Vir maximi nominis, & plane alter Livius, indefeſſi nempe ſtili & calami Maffejus. Nihil ille tamen adhuc ſibi præſtitiſſe viſus eſt, niſi, adverſus Baſnagium decertans, tam graves nobileſque canos theologica laurea coronaſſet. Seculo autem, quo pœne majorem Librorum theologicorum copiam ſcribunt ii qui civilibus ſunt artibus, quam qui officio & lege ſacris eſſe debent ſtudiis addicti, quonam quæri quis jure poteſt, nullam Religionis, nullam Theologiæ, nullam denique Theologorum, theologicarumque Elucubrationum noſtris ſaltem in regionibus haberi rationem?

Querebatur olim ad Balthaſarium de Cunica ſcribens Lipſius, quod exortam vix ſanctiſſimarum nobilliſſimarumque litterarum lucem ab Aula, a Nobilitate, a Purpura, ad Scholas tantum, & ad mediam pullatamque turbam ætas ſua relegaſſet. Eædem profecto, Auditores, non decent hodierna tempora querelæ, quum neque ab Aula, neque a Nobilitate, neque a Purpura, cum profana, tum ſacra etiam ſtudia relegata eſſe videantur. Num enim ab Aula relegatam in præſens dicemus Theologiam, illo Pontifice Petri in ſolio ſedente, cujus mens

*animuſque viciſſim*

*Aut curam impendit populis, aut otia muſis?*

Muſis; inquam, ſacris, theologicis præſertim diſciplinis, quas ſexcentis editis magnæ molis Elucubrationibus extulit, illuſtravit, ſuique cum nominis æternitate vindicavit? Num relegatam ab Aula dicemus Theologiam, quum tot doctiſſimæ circumferantur cum Germanorum, tum Italorum etiam Epiſcoporum, Gallicarum æmulæ theologicæ Encyclicæ, tanta cura, tanto ſtudio, tanta diligentia, tantaque ſapientia conſcriptæ? Num relegatam hoc tempore ab Aula & a Nobilitate flebimus Theologiam, ſi nuper amiſſum in memoriam Virum revocabimus omni virtutum genere ornatum, vereque ad immortalitatem comparatum, Ludovicum Aurelianenſium Ducem, cujus tantus fuit theologicas erga diſciplinas ardor, ut orientalibus, quas edoctus fuerat, linguis uſus ſit ad Opera nonnulla ſacris de Litteris ſapienter perſcribenda, quibus Catholicæ Eccleſiæ illuſtrare & confirmare dogmata, erroreſque oppugnare ſatagebat?

Audi-

Digitized by Google

Audiſtis, opinor, quam ſingulari benevolentia Thomiſticæ Theologiæ Adſeclas idem complecteretur, plurimi eos facere ſe & ſuſcipere teſtatus, qui præſtantiorem, ut ajebat, inter opiniones, quas Schola verſat, tradere, & pro viribus propugnare non ceſſant. Credidimus Auditores, regnaſſe olim Theologiam, imperante præſertim Franciſco primo, Galliarum Rege, quod muſas ille etiam ſacras regali animo foveret, egregioſque Viros, & præcipue Theologos impenſiſſime diligeret; nullis eum tamen vel a pueritia imbutum fuiſſe ait litteris; Qui ejus in laudes jure & merito totus fuit celeberrimus Thuanus. Cur igitur obſoletam neglectamque ſuſpicabimur ætate hac Theologiam, qua maximus Regii illius Generis Princeps non eam fovit modo & coluit, ſed didicit, immo æquo judicare jure de eadem potuit? Num denique relegatam a Purpura dicemus Theologiam, quum quantam hac ipſamet temporis periodo Lambertinus, Paſſioneus, Quirinus, Gottius, Poliniacus eidem conciliaverint gloriam nemo ſit tam ignarus rerum, aut nihil de Republica Chriſtiana cogitans, qui non videat, non intelligat, non animadvertat? Horum poſtremus, paribus licet cum Lucretio, philoſophicis videlicet certaverit armis, bello non deſtitiſſet tamen, ſi longiora numerare potuiſſet vitæ tempora, neque finem carmini impoſuiſſet, niſi theologicam circumdediſſet humeris loricam; oſtenſurus erat ſcilicet, nihil aliud fuiſſe Idololatriam, niſi quandam hæreſim a prima antiquiſſimaque Adami & Patriarcharum Religione deflectentem; quod paucis etiam Libro nono elaboratiſſimi Operis delibat. Id, inquam, oſtenſurus erat Vir Eminentiſſimus,

*ſed illum*
*In medio curſu juſſit mors dira ſilere.*
*Accidit ut Cycno, qui fixus arundine, carmen*
*Mille modis querulum, quod cœperat, interrupit.*

Si medios tamen interrumpere mors potuit ſuaviſſimos ejus cantus, numquam futurum erit tamen ut ipſius celebritatem nominis & gloriam interrumpat. Viget iſta ſiquidem poſt fata perrenis; ſplendidiorque immo, & auctior apud nos facta eſt, poſtquam celeberrimi ope Vatis, qui honoris cauſſa coram adſtat, præclariſſimi ſcilicet Riccii, Abbatis Caſinenſis, antilucretiana cythara italicis reſonavit modis, latiumque Poliniaci plectrum feliciter æquavit.

Dulciſſima hæc vero interpretatio mihi in memoriam revocat tot ita-

lico

lico ſermone redditos e Galia præſertim erumpentes theologicos Libros, qui homines non admodum etiam doctos ad vulgarem & pervagatam ſaltem theologicarum intelligentiam Quæſtionum ratione aliqua adtollant. Nam tametſi quarumdam vi & magnitudine rerum, ſtudiorumque etiam cauſſa, ita ſit Italia affecta nunc & inſtituta, ut angulus ejus nullus gallica vacare lingua intelligatur; eo tamen ardentiſſimum proferendæ Theologiæ ſtudium proceſſit, ut nulla re, hac ætate, magis, quam interpretationibus ejuſmodi (utinam peſſimis non ſemel!) abundemus. Legitur nunc certe apud nos vernaculo ſermone Boſſuetius; legitur vernaculo apud nos ſermone Duguetus, cujus præclariſſimum de Principiis Fidei Commentarium adnotationibus illuſtravit ſuis doctiſſimus ejus interpres Guerrerius. Legitur a nobis ſermone vernaculo Pluſcius, in Theatro Naturæ, illius auctorem, inque Poetico Cœlo originem Idololatriæ perſpicuam facere conatus. Neque enim veſtrum quemquam perperam exiſtimare arbitror Auditores, illos tantum, qui methodo & formulis theologicis contexti ſunt Libros, aut qui in fronte, Theologiæ nomen habent, theologicos eſſe appellandos; quippe ſi ita ſe res haberet, tunc ſolum theologica de re ſcriptum fuiſſe dicere opus eſſet, quum nulli prope veri ſolidique Theologi fuere. Leguntur vernaculo a nobis ſermone Huetius, Baltus, Bernardus Lamiius, Lebrunus, Turonenſis Antiſtes; aliaque ſexcenta, italica dialecto reddita hodierni apud Italos Galloſque theologici ſtudii monumenta; ut anglico ex ſermone redditos Derhamum, Dorellum, & Perſonium omittamus; utque tot prætereamus nuperrimos Theologico-polemicos, & Eccleſiaſtico-politicos Scriptores, qui copioſiſſimos de Fidei Controverſiis, deque Hiſtoriæ ſacræ & Eccleſiaſticæ arcanis italica lingua edidere Libros: maximum ſane virentis ubique propagatique theologici ſtudii argumentum.

Quid eſt igitur cur dubitemus quin felix ter & amplius beataque ſit hodierna Diſciplinæ theologicæ conditio, ſi remoti ſunt ab ejus penetralibus profani omnes, rerumque arcanarum non admodum periti; ſique contra ſacri Cœtus, ſi Laici præſtantiores, ſi ampliſſimi Magiſtratus, ſi Principes nobiliſſimi, ſi ſpectatiſſimi Præſules, ſi Purpurati Patres in ea verſantur, ipſamque impenſiſſime colunt, pertractant, amplificant, & ſtrenue propugnant? An ut lapides etiam theologice loquantur aliquis expectabit: tot tantiſque theologicis Elucubrationibus, tot theologicis inter-

ter-

Digitized by Google

terpretationibus, tot theologicis congreſſionibus, tam claris denique divinæ illius Scientiæ adſeclis contentus non erit? Agite, agite, Adoleſcentes, revocate animum, mœſtumque timorem mittite; & mementote illi vos addictos eſſe diſciplinæ, quam exigua fortaſſe quidem, ſed præſtantiſſima tamen mortalium pars aut pertractat, aut celebrat, aut veneratur. Horum virtutem virorum, horum nomen, horum dignitatem, obſecro, reſpicite, inſanumque aliorum numerum contemnite. Etenim ea ratione, qua jure ſcripſit Ariſtoteles, magis expetendam eſſe quantulamcumque præſtantiorum rerum & remotarum a captu vulgi cognitionem & intelligentiam, quam communium & pervagatarum quamlibet exquiſitam tractationem; ita quis non videat, quamtulamcumque a laudatis & laude dignis Viris profectam laudem cuilibet effuſæ imperitorum prædicationi eſſe anteponendam? Nihil autem virtuti & ſapientiæ gratum & glorioſum magis vera ejuſmodi & decora laude eſſe poteſt; ſiquidem ſi divitiæ & opes, blanditiæque facultatis alicujus pretium oſtendere deberent, non Philoſophiam nunc & Juriſprudentiam valere, aut Matheſim dicere opus eſſet, ſed muſicam potius aut lydium cothurnum; quum in eos, qui dulcis jucundique præſtant modulamine cantus, humanioribus ſive inducendis, ſive firmandis fovendiſque moribus, pecunias, opes, & quodcumque blanditiarum genus, magis quam integras in Academias, aut ceteros quoſcumque egregios & peritiſſimos in Artifices, provide ne dicam, an immoderate, effundi videamus. Verum, ut inquiebam, fugacia illa bona virtutis & ſapientiæ prætium minime oſtendunt, ſed illud ſolum honoris genus, quo veram virtutem veramque ſapientiam prudentiſſimi & lectiſſimi mortalium honeſtant. Aut ſi in non tenui labore vos tenuis adhuc ſequetur gloria Adoleſcentes, illud intelligite: Sapientem, ut honore dignus ſit, primum ſemper laborare; ſecundo, ut honore dignus habeatur; poſtremum eidem illud eſſe quod primum eſt non ſapientibus, honorem ipſum ſcilicet, qui tunc etiam verus modo & diuturnus erit, quum fuerit, non multitudinis imperitæ plauſu, ſed Sapientum judicio conſtitutus.

Digitized by Google